

## TALE OF THE LOST SLIPPERS (9.17-21)

1 [17] Nosti quendam Barbarum nostrae civitatis decurionem, quam Scorpionem prae  
2 morum acritudine vulgus appellat. Hic uxorem generosam et eximia formositate  
3 praeditam mira custodela munitam domi suae quam cautissime cohibebat.

4 Barbarus iste cum necessariam profectionem pararet pudicitiamque carae coniugis  
5 conservare summa diligentia cuperet, servulum suum Myrmecem fidelitate  
6 praecipua cognitum secreto commonet suaeque dominae custodelam omnem  
7 permittit, carcerem et perpetua vincula, mortem denique illam lentam de fame  
8 comminatur, si quisquam hominum vel in transitu digito tenus eam contigisset,  
9 idque deierans etiam confirmat per omnia divina numina. Ergo igitur summo  
10 pavore perculsum Myrmecem acerrimum relinquens uxori secutorem, securam  
11 dirigit profectionem.

12 Tunc obstinato animo vehementer anxius Myrmex nec usquam dominam suam  
13 progredi sinebat et lanificio domestico districtam inseparabilis adsidebat ac tantum  
14 necessario vespertini lavacri progressu adfixus atque conglutinator, extremas manu  
15 prendens lacinias, mira sagacitate commissae provinciae fidem tuebatur.

16 [18] Sed ardentem Philesitheri vigilantiam matronae nobilis pulchritudo latere non  
17 potuit. Atque hac ipsa potissimum famosa castitate et insignis tutelae nimietate  
18 instinctus atque inflammatus, quidvis facere, quidvis pati paratus, ad expugnandam  
19 tenacem domus disciplinam totis accingitur viribus. Certusque fragilitatis humanae  
20 fidei, et quod pecuniae cunctae sint difficultates perviae auroque soleant  
21 adamantinae etiam perfringi fores, opportune nactus Myrmecis solitatem, ei  
22 amorem suum aperit et supplex eum medellam cruciatui deprecatur: nam sibi  
23 statutam decretamque mortem proximare, ni maturius cupito potiatur; nec eum  
24 tamen quicquam in re facili formidare debere, quippe cum vespera solus fide  
25 tenebrarum contextus atque absconditus introrepere et intra momentum temporis  
26 remeare posset.

27 His et huiusce modi suadelis validum addebat cuneum, qui rigentem prorsus servi  
28 tenacitatem violenter diffinderet; porrecta enim manu sua demonstrat ei novitate

29 nimia candentes solidos aureos, quorum viginti quidem puellae destinasset, ipsi  
30 vero decem libenter offerret.

31 [19] Exhorruit Myrmex inauditum facinus et oclusis auribus effugit protinus. Nec  
32 auri tamen splendor flammeus oculos ipsius exire potuit, sed quam procul semotus  
33 et domum celeri gradu pervectus, videbat tamen decora illa monetae lumina et  
34 opulentam praedam iam tenebat animo; miroque mentis salo et cogitationum  
35 dissentione misellus in diversas sententias carpebatur ac distrahebatur: illic fides, hic  
36 lucrum, illic cruciatus, hic voluptas. Ad postremum tamen formidinem mortis vicit  
37 aurum.

38 Nec saltem spatio cupido formonsae pecuniae leniebatur, sed nocturnas etiam curas  
39 invaserat pestilens avaritia, ut quamvis erilis eum comminatio domi cohiberet,  
40 aurum tamen foras evocaret. Tunc, devorato pudore et dimota cunctatione, sic ad  
41 aures dominae mandatum perfert. Nec a genuina levitate descivit mulier, sed  
42 exsecrando metallo pudicitiam suam protinus auctorata est.

43 Ita gaudio perfusus advolat ad suae fidei praecipitium Myrmex, non modo capere  
44 verum saltem contingere quam exitio suo viderat pecuniam cupiens, et magnis suis  
45 laboribus perfectum desiderium Philesithero laetitia percitus nuntiat statimque  
46 destinatum praemium reposcit. Et tenet nummos aureos manus Myrmecis, quae nec  
47 aereos norat.

48 [20] Iamque nocte promota solum perducit ad domum probeque capite contectum  
49 amatorem strenuum infert adusque dominae cubiculum. Commodum novis  
50 amplexibus Amori rudi litabant, commodum prima stipendia Veneri militabant  
51 nudi milites: et contra omnium opinionem captata noctis opportunitate inprovisus  
52 maritus adsistit suae domus ianuam. Iam pulsat, iam clamat, iam saxo fores verberat  
53 et ipsa tarditate magis magisque suspectus dira comminatur Myrmeci supplicia. At  
54 ille repentino malo perturbatus et misera trepidatione ad inopiam consilii deductus,  
55 quod solum poterat, nocturnas tenebras sibi causabatur obsistere quin clavem  
56 curiose absconditam reperiret. Interdum Philesitherus cognito strepitu raptim  
57 tunicam iniectus sed plane prae turbatione pedibus intectis procurrit cubiculo. Tunc  
58 Myrmex tandem clave pessulis subiecta repandit fores et recepit etiam tunc fidem

59 deum boantem dominum eoque propere cubiculum petente clandestino transcurso  
60 dimittit Philesitherum. Quo iam pro limine liberato securus sui clausa domo rursum  
61 se reddidit quieti.

62 [21] Sed dum prima luce Barbarus procedit cubiculo, videt sub lectulo soleas  
63 incognitas, quibus inductus Philesitherus inrepserat, suspectisque a re nata quae  
64 gesta sunt, non uxori non ulli familiarum cordolio patefacto, sublatis iis et in sinum  
65 furtim absconditis, iusso tantum Myrmece per conservos vincto forum versus  
66 adtrahi, tacitos secum mugitus iterans rapidum dirigit gressum, certus solearum  
67 indicio vestigium adulteri posse se perfacile indipisci.

68 Sed ecce per plateam dum Barbarus vultu turgido subductisque superciliis incedit  
69 iratus ac pone eum Myrmex vinculis obrutus, non quidem coram noxae prehensus,  
70 conscientia tamen pessima permixtus lacrimis uberibus ac postremis  
71 lamentationibus inefficacem commovet miserationem, opportune Philesitherus  
72 occurrens, quanquam diverso quodam negotio destinatus, repentina tamen facie  
73 permotus, non enim deterritus, recolens festinationis suae delictum et cetera  
74 consequenter suspicatus sagaciter extemplo sumpta familiari constantia, dimotis  
75 servulis invadit cum summo clamore Myrmecem pugnisque malas eius clementer  
76 obtundens: "At te," inquit "nequissimum et periurum caput, dominus iste tuus et  
77 cuncta caeli numina, quae deierando temere devocasti, pessimum pessime perdunt,  
78 qui de balneis soleas hesternae die mihi furatus es: dignus hercules, dignus, qui et ista  
79 vincula conteras et insuper carceris etiam tenebras perferas."

80 Hac opportuna fallacia vigorati iuvenis inductus immo sublatus et ad credulitatem  
81 delapsus Barbarus, postliminio domum regressus, vocato Myrmece, soleas illas  
82 offerens et ignovit ex animo et, uti domino redderet, cui surripuerat, suasit.